Lane Medical Library

DE

COMBUSTIONE CORPORIS HUMANI SPONTANEA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS VILTER

NAUENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. MEISNER, med. et chir. Dr.

CH. ZWICKE, med. et chir. Dr.

A. PAWLOWSKI, med. et chir. Cand.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0085

VIRO

DOCTISSIMO, CELEBERRIMO,

HUMANISSIMO

BALZ,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE
COMBUSTIONE SPONTANEA.

Incendium corporis humani sponte, vel e levissima tamen causa ortum, contemplanti phaenomenon tam mirificum esse videtur, ut viri haud pauci vel doctissimi atque experientissimi huic rei explicandae nequidquam summam operam dederint, multi rem effictam habuerint, aliique prorsus negarint.

Postquam autem multa hujus rei specimina collecta, accuratiusque observata sunt, sine ullo dubio istam comprobarunt confirmaruntque. Idque eo magis, quum novissimi doctrinarum physicarum, chemicarum, totiusque scientiae naturalis maximi progressus rem multo faciliorem explicatu reddiderint.

Ut autem hac de re, hucusque satis ambigua,

recte sentiri et recte judicari queat, historias fere omnes ad hunc diem cognitas et doctorum virorum de ipsis sententias colligendas atque inter se comparandas et tunc demum rem ipsam justo ordine tractandam censeo.

PARS PRIMA.

HISTORIA INCENDII C. H. SPONTANEI.

Rem si propius et accuratius perpenderimus, facile intelligemus, etsi ea tantum incensio appellari posset spontanea, quae sine ulla causa visibili et externa orta, tamen omnes combustiones, quae e minima causa ortae videantur, ut magno diroque effectui vix respondeant, huc referri. Phaenomenon unum esse altorum phaenomenorum, de quibus auctores usque ad recentiora tempora altum servarunt silentium, satis constat.

Quae Tacitus de oculis Tiberii lucentibus retulit, nihil huc facere, neque fere quidquam earum rerum, quas in libris antiquis de ignibus circum na-

vium malos ludentibus legimus, qui Castoris et Pollucis, recentioribus autem temporibus Sancti Elmi vocabantur, per se satis liquet. Ignes autem hujus generis electrici, quum nisi ad substantias summe inflammabiles incendendas inservire nequeant, alteram tantum, eamque posteriorem partem »caussae incendii nostri sufficientis« exhibere possunt.

Minime vero tanta apud veteres rei jam adeo agitatae ignorantia mira videri potest, quum caussae sat superque sufficientes vetarent, tunc rei notatu dignissimae cognitionem percrebrescere. Etsi cognitum, veteres quidem interdum sese inebriasse, tamen vino tantum et ejusmodi liquidis subspirituosis ad inebriandum uti potuerunt. Quum autem ex tabulis additis facile pateat, spiritum frequentiorem incensionis spontaneae causam exhibere, hujus incensionis casus antiquis temporibus rarissimos tantum fuisse, facile intelligemus.

Alterum cognitionis incendii spontanei impedimentum ante et paulo post typographicam inventam artem facile defectus commercii publici literarii defectusque relationum esse potuit: unde quin factum sit, ut plures talium incendiorum casus vel oblivioni dati, vel tam sero perscripti sint, ut fabulae haberentur, nec amplius crederentur, non dubito. Neque

minus denique priorum temporum superstitio efficere potuit, ut unus alterve talis incensionis casus consulto occultaretur, ne ob membrum familiae nobilioris tali modo absumptum in totam familiam verteretur ignominia, eique in perpetuum infligeretur.

Saepius enim alias nuntiatum esse, vel nunc interdum inter homines inferioris ordinis nuntiari de singulis hominibus, praesertim feminis e cubiculo clauso a diabolo ablatis, praeter squalorem foetidissimum, qui e cineribus foetentibus ex incensione et combustione spontanea relictis verisimiliter constituitur, nihil de se relinquentibus, satis constat.

Historias conflagrationum c. h. spontanearum, quotquot mihi innotuerunt et memoratu dignae videntur, ordine chronologico referam.

Casus I. in Dania ante 1669 oblatus.

Thomae Bartholini de luce hominum et brutorum Libri III. Hafniae 1669.

Plures enarrat historias hominum incendio aut prorsus sponte aut fere sponte peremtorum, nec non partium singularum in hominibus atque in brutis praesertim in porcabus eodem modo incensarum.

Refert enim, Clarium Cornelium Gemmam narrasse, e vagina mulieris Thuringae inter dolores ad

partum vehementissimos flammam magnam fortiter detonantem subito exiisse.

Casus II. in Dania ante 1674 oblatus.

Auctoris ejusdem observationes medico-physicae in Actis medicorum Hafniensium. Vol. I. Hafniae 1674.

Vetula provectae aetatis, quae per tres annos spiritu vini maxime erat abusa, in sella straminea haerens tota fere combusta inveniebatur, ita ut sola pars aliqua cranii et extremae digitorum phalanges restarent.

Casus III. in Hollandia ante 1680 oblatus.

Steph. Blanchard collectan. medico-physicor. Centuriae VII. Amstel. 1680.

Narrat incendii spontanei casum, quem satis dignum censuit celeberrimus Haller, ut ipsum in sua bibliotheca medico-practica, Vol. III. pag. 436. repeteret.

Casus IV. ante annum 1745 oblatus.

Cromwel Mortimer in philosoph. transactions of the Royal society of London. 1745.

Femina 60 annorum prope focum suum concre-

mata inveniebatur, ita tamen, ut magna capitis pars et omnes quattuor extremitates restarent. Vestimenta infantis prope corporis combusti reliquias intacta jacentia conspiciebantur.

Casus V. et VI. in Gallia anno 1745 et 1749 oblati.

Claude Nicolas le Cath. Mémoire sur les incendies spontanés de l'économie animale. Paris 1813.

a) Anno 1745 mulier, spirituosorum fortiorum potui valde dedita, sesquipedem circiter a camino suo cubiculari humi concremata inveniebatur, solis capitis extremitatumque aliquot partibus relictis.

b) Anno 1749 vetula 80 annorum, summe emaciata, quae jam per plures annos nihil nisi spiritum vini assumpsisse dicebatur, in sella ante caminum sedens concremata est reperta. Ignis non nisi sceleton in statu carboneo reliquerat, sellam autem fuliginoso solummodo colore tinxerat et smegmate squallido unxerat.

Casus VII. in Italia 1763 oblatus.

Jo. Fortun. Bianchini in philosoph. transact. of the Roy. Society of London No. 476.

Mulier 62 annorum, quae balneis e spiritu camphorato paratis saepissime erat usa, ad quatuor pedes in solo jacens concremata vel combustione absumta inveniebatur, cranio tantum, parte faciei et tribus digitis tantum relictis.

Casus VIII. in Gallia 1767 oblatus.

Bradford Wilmer in philos. trunsactions for the year. 1774. Vol. 64. No. 35. pag. 340.

Femina 50 circiter annorum, in urbe Conventry vivens, potuum spirituosorum abusui summe erat dedita, ut jam dudum unam pintam usque duas Anglicas spiritus sacchari quotidie assumeret et sic inebriata cubitum iret. Postremo mane reperti sunt humi jacentes sordidi foetentesque cineres, in quibus femur solum unum et crus cum pede intacta conspiciebantur. Ceterum candela in sella ad lectum plane exhausta, vestis parietis lignea magna ex parte in carbones redacta, vestis autem foeminae partes molles linteae prorsus illaesae reperiebantur.

Casus IX. in Italia oblatus.

Joseph Bantaglia in Giornale di Firenza. 1786.

Sacerdos, itinere per diem peracto, vesperi cu-

bitum iturus subito concidit Strepitu audito eandem domum inhabitantes accesserunt, et sacerdotem humi prostratum et levi flamma circumdatum invenerunt. Flammam appropinquantes tandem extinxerunt. J. Bantaglia, postero die advocatus, integumenta dextri lateris eaque omnia, quae inter humerum et femur ejusdem lateris sunt, penitus ambusta et prorsus fere a carnibus soluta, postea gangraenescentia reperiebat. Mox et aliae partes sphacelo sunt correptae, aegerque, putrida materia per alvum deposita, vomitu continuo vexatus, sopore alto exspiravit. Nullum in totius morbi decursu dolorum aliarumve affectionum sensitivarum indicium apparuit. Putredo autem jam ante mortem tam erat progressa, ut corpus foetorem intolerabilem exhalaret. Aegrotus usque quartum post incendium diem vixit. Juxta humi jacentem lumen in lampade vivum conspiciebatur. Num misere mortuus ante decessum spirituosis abusus sit, a Jos. Bantaglia non refertur.

Casus X. in Gallia 1820 oblatus.

Hellis (in Journal général de Médecine. 1826. Avril) hunc casum narrat:

Mulier 57 annorum nocte, postquam e more suo plurimo spiritu vini inebriata, lectum petierat; com-

bustione mulieris fere totius ex utensilibus per totum cubile disjacentibus praeter ligni caudicem, cui misere absumta ventre injacebat, nihil erat tactum.

Casus XI. in Gallia 1820 oblatus.

Charpentier in Revue médicinale ou Bulletin de la Faculté de Médecine de Paris. 1820. No. 10. pag. 112.

Mulier 90 annorum ejusque ancilla 70 annorum cubiculum tenuere commune, in lectis duobus tamen singulae dormientes. Utraque perparvum edebat, matrona autem jam per aliquot annos multum spiritus Coloniensis compositi quotidie vel ad ebrietatem hauserat; ancilla contra vino bono aromatico calido saepissime se inebriaverat. Vesperi 12. Decbr. anni 1820 foetor empyreumaticus in cubiculi harum mulierum vicinitate perceptus est quidem, sed aliis causis adscriptus neglectus est. Insequente mane autem totum cubiculum repletum fumo foetidissimo inventum est, solum ubique squalore madens humido, corpus senioris mulieris in lecto ustulatione absumtum videbatur, capite et lobulo cutis e collo solis relictis. Lectus ancillae vacuus et plane intactus apparuit. Ancillae corporis autem nil praeter crus dextrum tibiali et calceo adhuc indutum, quoniam

verisimiliter ancilla heram obtegendo servare erat conata, repertum est. In camino ne vestigia quidem ignis, praeter candelabrum sine candela et aliud candelabrum in solo positum, cujus candela per novissimam noctem consumpta videbatur, reperta sunt.

Casus XII. in Gallia 1821 oblatus.

Froriep's Notizen aus der Natur- und Heilkunde. VI. No. 103.

Civis Vatin 60 annorum, longus et obesus, per multos annos jam desidiae et inertiae deditus, spirituosorum potui immodice indulserat. Anno 1821 d. 22. Febr. fumo spisso et foetido ex ejus cubiculo prorumpente, cadaver in solo est repertum flamma livida circumdatum. Igne non nisi multa aqua infusa exstincto, fumoque empyreumatico disperso in foculo obstante pruna et adeps multae aquae per solum dispersae innatans conspecta sunt. Facies tumida et obscure livida, colli carnes fere totae igne absumptae, at columna vertebralis intacta relicta, ut ipsius ope caput trunco adhaereret. In latere sinistro ventriculus et partes adjacentes, costae ejusdem lateris, uti humerus igne erant absumpta. Dextri lateris partes praeter manum ventriculo impositam intactae omnes relictae. Ex intestinorum abdominis

thoracisque serie non nisi hepar, pulmones cum corde, corrugata quidem, satis tamen cognoscenda reperta. Os ilium sinistrum cum femore sinistro prorsus igne consumptum, crus sinistrum a genu quidem solutum, sed leviter tantum adustum repertum. Praeterea res aliae cubiculi omnes igne intactae inventae sunt, ut cuncta incensionis et combustionis spontaneae signa apparerent.

Casus XIII in Gallia 1822 oblatus.

Clariss. Julia de Fontanelle in Revue médicinale. 1822. Conf. Froriep's Notizen. IV. No. 7.

Petrus Raynateau, faber ferrarius in pago Leognan, 40 annos natus, sobriam omnino agens vitam nec nunquam spirituoso potui nimium indulgens, anno 1822 die Septr. quinto ex urbe Burdigala domum rediit per aërem calidissimum. Viam súam sub solis radiis alacriter persequens, versus quartam horam pomeridianam ictum fortem ad femur dextrum subito persensit, nulla causa externa conspecta. Gressus aliquot ulteriores vix emensus, circa dextrae manus juxta femur modo percussum dependentis digitum indicem flammam subcaeruleam vidit ludentem, qua mox et digitus ejusdem manus medius circumdatus est. Manum igitur totam in braccis

condit, at hae quoque flammis perfunduntur subcaeruleis. Jam manum sinistram ad dextrae auxilium admovet, sed haec quoque corripitur igne deleterio. Manum igitur utramque sub caespite humido condit, et ignibus sic exstinctis in domum haud multum distantem pergit. Ibi fumum semper adhuc ex utriusque manus digitis surgentem multa demum aqua compescuit. Ulcera ex ambustione relicta per insequentes duos menses sensim sensimque sunt persanata.

Casus XIV. Hamburgi 1825 oblatus.

Fricke in der Zeitschrift f. d. ges. Medicin. Marg. Heins, puella 17 annorum, habitus tenelli, anno 1825 d. 21. Jan. vespere, dum nendo vacat, subito ardorem totum corpus permeantem maxime in digito sinistrae manus indice persensit. Mox flamma quoque digitum circumfusum conspexit subcaerulea, quam aqua plurima exstinguere non valuit, qua tamen largiter applicato lacte denique mitigata, aegrota multis ambustionis laesionibus affecta evasit. Die deinde sequenti in nosocomium aegra recepta, post duos menses curata est.

Casus antea narrati memoratu digni mihi videbantur, sed multi quoque alii ab autoribus sunt de-

scripti; mihi autem per opusculi terminos arctiores tantum licet, quod longum est omnibus his de scriptis accuratius referre, breviter, quibus in operibus ista inveniantur, tradere. Vide igitur:

Gazette salutaire de Bouillon. 1777. pag. 11. Journal de Médic. 1779.

Merille et Muraine in Journal de Méd. T. 59. pag. 140. 440.

Félix Vicq-d'Azyr in Encyclopédie méthodique de la Roche. 1790.

Pierre Aimé Lair, Essai sur les combustions humaines productes par un long abus des liqueurs spiritueuses etc. Paris 1800.

Christ. Ritter, Ueber Selbstverbrennungen in org. und leblosen Körpern. Hamb. 1804.

H. Kopp, Diss. de causis combustionis spontaneae in c. h. factae. Jen. 1800.

Ejusdem Ausführliche Darstellung und Untersuchung der Selbstverbrennung des menschl. Körpers. Frankf. a. M. 1811.

Medicinal Repository. New York 1805. Vol. V.

Köster, Diss. de combustione c. h. spontanea. Jen. 1805.

Pfeiffer, Diss. de combust. c. h. spont. Gottingae 1809.

Proteau in Salzburg. med. chir. Zeitg. 1805. pag. 284.

Braun, zur Lehre von der Selbstverbrennung, in Henkes Zeitschrift. Erl. 1827. pag. 73 — 92.

Alph. Devergie in Diction. de Méd. et de Chir. pract. par Andral etc.

Dupuytren in Leçons cliniques. 1830

Demazy in Archives générales de Médecin. 1839.

Corn. van Brougham, Ueber das vorzugsweise durch unmässigen Genuss spirituöser Getränke entstd. Selbstverbrennen. Quedl. und Lp. 1835.

Willbergs Jahrbuch der gesammten Staatsarzneikunde. Bd. IV. Heft. 3. pag. 369.

PARS SECUNDA.

PHAENOMENOLOGICA.

Quam vocare consuevimus incensionem vel combustionem spontaneam, huncce plerumque in modum procedere solet: homines, cladi peculiari atque miserrimae obnoxii, omnes fere sunt vetulae obesae, quae liquores spirituosos fortiores interdiu noctuque lar-

giter haurientes, necopinato inveniuntur in solo prostratae et maximam partem igne lento consumptae: ita ut plerumque nihil nisi caput cum incluso cerebro, et aliquae minores majoresve extremitatum reliquiae, de intestinis autem thoracis et abdominis globulus tantum informis squalidus relictus conspiciantur.

Aër cubiculi reliquias cŏrporis concremati circumdans, fumo foetidissimo empyreumatico, ex ustulatis partibus animalibus orto, scatere solet.

Negari vix potest, halitum vel mere respiratorium vel insimul perspiratorium cutis, spiritu vini vel aethere quodam et gase inflammabili scatentem, levissima aliqua caussa incendi et ignem deinde sensim sensimque in interiores hominis partes descendere, ipsasqae non, ut vulgo creditur, aperto igne et flamma, sed interne gliscente et ustulante destrui. Quod verisimilius videtur, quum flammula, quam primi ad tales combustiones accedentes haud raro conspexere, infusa aqua augeri potius quam exstingui sit visa.

Quae quidem res minime mira nobis videbitur, si intellexerimus, flammulam istam particulis volatilibus et oleosis tantum e massa tota ustulante prodeuntibus effici nutririque.

Flammula levissima. vapore spirituoso aethereove et gase hydrogenio phosphoricove, quae e partibus ustulantibus assurgunt, nutrita, carnes subjacentes ustulantes lambendo quasi deambulat. Hinc facile fit, ut flammulae ipsae ab appropinquantibus recedere vel prorsus aufugere et disparere videantur. Ex eadem ratione varia combustibilia hasce ustrinas circumdantia plerumque illaesa vel minus tamen igne affecta reperiuntur.

Res ligneae et ipsae linteae, alias facile combustibiles, tacito tantum igne ustulatae reperiuntur, quum istae flammulae spirituosae leviores sint, quam quae ignem vere flammantem excitent.

PARS TERTIA.

AETIOLOGICA.

Momenta ustulationis c. h. caussalia.

Quam spontaneam vocare solemus c. h. ustulationem internam, is est processus chemicus morbosus, cujus ortus duobus nititur momentis caussalibus, interno sive praedisponente et externo sive occasionali.

Quaenam caussae c. h. incensionem efficere queant?

De corporis humani incendibilitate tantopere dissenserunt viri magnam partem doctissimi et experientissimi, tamque abstrusae de ipsa prolatae sunt opiniones, ut haud mirum videri possit, quod chemicus nostri aevi celeberrimus Berzelius de veritate sive realitate totius hujus phaenomeni dubitarit (1).

At priusquam tamen propriam hac de re opinionem proferam, praecipuas a variis viris doctis enuntiatas sententias percensere et dilucidare mihi liceat.

Averard (conf. Froriep's Notizen. No. 136. pag. 54) putat, hasce combustiones majori quantitate acidi phosphorici evoluta e cute hominum potui spirituoso nimium adsuetorum fieri, unde deinde maxima quantitas gasis hydrogenii phosphoro juncti oriatur, quo substantia summe inflammabilis conflatur.

Cui tamen opinioni haud facile quisquam consentiet, quum, unde hujus sententiae auctor acidum phosphoricum subito hauriat, difficile sit intellectu.

Chrn. Guil. Ritter passim jam phlogiston.

---

(1) Vide Berzelius neunter Bericht über die Fortschritte der Zoochemie, ubi ait: „Man würde wohl am besten thun, an eine Erklärung dieser Erscheinung nicht eher zu denken, als bis ihre Wirklichkeit ganz unwiderleglich von vorurtheilsfreien Personen erwiesen worden ist."

quod ubique per terram dispersum dicit, jam aërem inflammabilem sive gas hydrogenium caussas incendia spontanea excitantes allegat. Attamen, si gas quidem hydrogenium ignem incendere, vel potius ipsum ignitum fieri possit, certe sine ulla causa incendente, neque sine oxygenio accedente non possit.

Fortunatus Licetus narrat, anno 1597 anatomes professorem in theatro anatomico Pisano e stomacho cadaveris inflato, quem cultro inciderat, magnam aëris flatuosi vim prorumpentem vidisse, qui admota candela vivide exarserit. Similia phaenomena Bonami et celeberrimus ille Ruysch videre. Attamen hoc non est mirandum, nam in animalium intestinis gas carboneo-hydrogenium valde inflammabile componi et magna in volumina colligi, scimus, quo, incensionis occasione data, ignes intensiores exhiberi possint. — Thomas Bartholinus (de luce hominum et brutorum) refert, in Russia haud raro fieri, ut homines inferioris ordinis in cauponis vulgaribus magnam spiritus frumenti multitudinem bibendo se inebrient, et deinde in plateas aëremque frigidum progressi concidant. Quo facto spiritus in ventriculo collectus purior per os assurgere et inde exiens inflammari dicitur.

Si hic quidem Bartholinus nullam caussam ex-

ternam exstitisse credat, tamen ignis electricus, per hiemes Russiae summe siccas et frigidas, ut novimus, valde actuosus et efficax, incensionis focum facile exhibere potuit.

Celeb. Rudolphi (in Grundriss d. Physiologie) putat, electricum influxum semper esse necessarium in hujusmodi combustionibus; quomodo autem re vera efficiantur, hoc se explicare minime posse ingenue fatetur.

Jam multi falsissime de hac re sensisse videntur, maxime tamen omnium fallebatur Cel. Kopp, contendens, spiritum vini minime transgredi in sanguinem ceterosque corporum organicorum humores.

Satis enim notum et repetitis observationibus comprobatum est, sanguinem, urinam et ipsum cerebrum aliasque partes alcohole inebriatorum vel maxime redolere spiritum vini. Nec adeo ad nostram spectat rem, utrum spiritus vini, in sanguinem aliosque humores transeat, necne; sed in hoc potissimum nobis vertitur cardo: num ex ore faucibusque tali modo inebriatorum habitus spirituosus satis spissus ad incendium surgere possit; quod negari vix potest, si perpenderimus, quanta alcoholis vis a potatoribus quibusdam magnis quotidie hauriatur, eamque haud raro summe volatilem et ipsis oleis aethereis subtilioribus impraegnatam, qualia sunt olea aethe-

rea menthae piperitae. aurantiorum. absinthii. et ejusmodi alia, quae minima ignis scintilla admota facillime in vividam abeunt flammam. Quin imo hoc patet e multis historiis fide dignissimis et maxime ex historia supra narrata, matronam Gallicam ipsum spiritum Coloniensem compositum, quid scatet oleis aethereis summe volatilibus, potum quotidianum assumsisse. Praeterea haud facile fugiet quemquam medicum practicum, permultas mulieres, praesertim actate provectiores, haud raro maxime abuti liquoribus aethereis, quales sunt liquor anodynus mineralis Hoffmanni, vel ipsa Naphtha vitrioli. Unde fieri facile potuit, ut mulier minime potatrix habenda magnam liquoris inflammabilis quantitatem deglutiisse posset, quae ipsius halitum ad incendium praedisponere valeret.

Recentiorem denique F. L. Huenefeld*) opinionem de incendio et combustione c. h. spontaneis afferam.

Est secundum hunc auctorem combustio spontanea productum transitus subitanei trium harum potentiarum per vitae organicae processum ligatarum, lucis, caloris et electricitatis, in qualitatem organicam, et insimul inflammationis et decompositionis,

*) Vid. Horn's etc. Archiv f. med. Erfahrung. 1830. Jul. pag. 784.

quas eaedem una cum adjuvante circumdantis aëris oxygenio in materiis animalibus efficiunt, ita ut ex altera parte decompositionem putredinosam gignant.

Nunc autem, si auctorum opiniones complectimur et casus singulos supra enarratos consideramus; ingurgitata magna spiritus vini purioris, vel ipsis oleis aethereis impraegnati copia, e ventriculo calefacto multum halitum spirituosum per os assurgere debere reperiemus, qui halitui hydrogenio — carboneo e pulmonibus assurgenti mixtus, facillimam subiturus sit incensionem. Reperimus porro, plerumque referri et semper fere nos suspicari posse, lumine admoto primum incensioni exordium esse datum et maxime per laryngem proserpsisse.

Contendunt plures hujus rei scriptores, combustionem c. h. spontaneam igiturque etiam incensionem vulgo dictam spontaneam, isti necessario praeviam, frequentiores in regionibus septentrionalibus, praesertim in Russia, occurrere. Neque est dubitandum, quin res ita se habeat, quum in regionibus septentrionalibus, propter longiores et frigidiores hiemes et noctes, major et longior luminis et caloris artificialis sit necessitas, quumque non minus homines ex eadem ratione ad profusiorem spirituosorum usum quasi coactos se opinentur.

Licet enim per recentiora tempora plurimae combustionis spontaneae historiae e Gallia nobis sint allatae, tamen haud aegre credo, multo plures ex Russia nobis afferri potuisse, si vita hominum singulorum, qui maxime ebrietatis pestilentia destruuntur, tanti, quanti in Gallia, haberetur.

At istorum tamen scriptorum opinioni contradicendum esse puto, qui majorem combustionum spontanearum in Russia frequentiam de sola majori et vivaciori illarum regionum electricitate aërea, nec insimul de frequentiori spiritus vini et luminis calorisque artificialium usu deducendam esse putant.

CORPORIS HUMANI USTULABILITAS.

Alterum et gravissimum combustionis c. h. spontaneae momentum est ejusdem corporis ustulabilitas sive facultas, tacito igni interno vel succensioni internae tacitae succumbendi.

Meretur hocce phaenomenon eo majorem sane attentionem, quod minor vel potius nulla hucusque in ipsum est adhibita, licet quotidiana observatione edoceamur, et jam dudum simus edocti, rerum combustibilium deflagrationem sive consumptionem igne aperto et flammante prorsus alia exhibere phaenomena, ac earundem rerum tacitam et bene tectam

incinerationem et ustulationem, omni flamma absente et diligentissime suppressa.

Cuncta hominum corpora, combustione spontanea destructa, surdo igne ustulata, non aperto igne et flammante conflagrata reperiebantur, igiturque nec utensilia circumjacentia ac multo minus eorum habitacula in exitium rapta sunt, quod certo saepius factum esset, si combustio flammans, non subustulatio locum umquam habuisset.

Quomodo tamen incipiat ustulatio, omnium facillime intelligi posse mihi videtur, dummodo sequentia perpenderimus momenta:

1) In superioribus demonstratum est, ignem ante os et in ore ebriosorum accendi ex halitibus spirituosis et carboneo-hydrogeniis.

2) Ignes hoc modo in ore, in faucibus et larynge suborti, vel ultro vel potius inspirandi necessitate compulsi, in pulmones descendunt, eoque simul impediunt, quominus correpti alios in auxilium vocare possint.

3) Quin autem pulmonum massa in hominibus post magnas et repetitas alcoholis assumtiones fiat combustibilis ergoque ustabilis, dubitare vix possumus, si reputamus: subtiliores spiritus assumti partes, oxygenio, carboneo et hydrogenio junctas, magnam

massae pulmonali combustibilitatem tribuere debere; combustiones quidem difficilius fieri in cavo clauso propter oxygenii penuriam vel totam absentiam, in massa autem pulmonum spongiosa tantam oxygenii multitudinem inclusam esse, ut in pulmonibus subustulatio effici possit.

Sic facile intelligitur, quomodo halitus igniti, absumptis thoracis organis, in abdomen liquoribus spirituosis et adiposis scatens descendant, ibique destructionem partium ustulabilium efficiant.

CONDITIONES USTULATIONEM C. H. ADJUVANTES.

Quae conditiones quum Cel. Kopp perbene collegerit et disposuerit, eas ex hoc scriptore hic repetam, una alterave addita, ubi res postulare videbitur.

Sunt igitur haece potissimum:

1) Fere semper mulieres, rarissime viri, incendio spontaneo sunt correptae. Verisimillime laxior mulierum tela cellulosa, ut recipiendis partibus adiposis et alcoholicis sit aptior. Praeterea facile quoque fieri potest, ut vetulae longa consuetudine in abusum spirituum fortiorum multo majus abripiantur ac viri.

2) Omnes fere combustiones spontaneae vetu-

larum, plus 60 annos plurimum natarum, sunt factae. Cujus rei quidem perfacilis est explicatio respicienti, his vetulis senilibus pulmones ad incendendum satis siccos aptosque esse.

3) Interdum feminae infirmiores, ictericae et cachecticae huic malo succubuerunt, quae potationibus spirituosis deditae non videbantur. At verisimillime in his quoque casibus ex eodem fonte orta clades. Si quidem non spiritum vini vulgarem, liquorum saltem aethereorum magnam haud raro copiam ingurgitant.

4) Vitam combustae plerumque gesserant desidiosam et fere semper magna laborarunt obesitate, quare corpora habuere alendo igni aptiora.

5) Ferme semper ignis prope combustas affuisse est visus.

6) Flammulae, super massis adhuc ustulantibus interdum apparentes, valde mobiles et aquam infusam saepius quasi evitantes sunt inventae.

7) Locus, in quo ustulatio erat facta, multo impletus foetore squalide-empyreumatico, fumo foetidissimo, et parietes humiditatibus sordide-unctuosis obducti reperiebantur, quae phaenomena ex ustulationibus massarum animalium mixtarum orientia videre consuevimus.

8) Trunco plerumque fere toto combusto, singulae extremitates, haud raro caput quoque, igne intactae apparebant.

9) Combustio spontanea plerumque per hiemis frigidioris longiores noctes infelices infestabat potatrices, at multo sane minus, ut omnes fere contendunt scriptores, propter majorem et minus latentem illo tempore electricitatem, sed propter multo majorem necessitatem et externae et internae calefactionis et luminis.

PARS QUARTA.

THERAPEUTICA, PROPHYLACTICA.

Curam incensio in cavo oris, faucium et pharyngis jam coepta vix ullam admittere videtur, quum tam celeriter plerumque procedat, ut infelicem jugulet. Optimum certe remedium liquor Ammonii acetici concentratus Pharm. Bor., vel liquor Kali acetici, vel solutio Aluminis concentrata, si unus vel alter horum liquorum ad manus adesset, exhiberent.

Quod ad curam prophylacticam attinet, privatam potatoribus curam adhibere nullam possumus praeter admonitiones et dehortationes, quibus quidem fere nunquam exoptati fructus sunt percepti.

Multo magis autem certe publicis curis his combustionibus dirissimis occurri praecaverique posset, si omnibus viribus pesti ebriositatis obniteremur.

VITA.

Carolus Augustus Ludovicus Vilter natus sum anno hujus saeculi duodecimo Nauenae, patre Friderico Guilelmo, quem mihi jam puero mors eripuit, matre Dorothea e gente Guenther, quam per Dei gratiam etiam nunc superstitem ac salvam pio veneror animo. Primis literarum rudimentis imbutus sum in schola Nauensi et postea in Gymnasio Berolinensi leucophaeo, quo relicto, anno MDCCCXXXII civibus academiae medico-chirurgicae militaris sum adscriptus, in qua per tres annos et dimidium scholas frequentavi horum virorum:

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et pharmacologia; Cel. Turte de physice et chemia et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia organica et anorganica; Ill. J. Müller de physiologia; Ill. Schlemm de splanchnologia, syndesmologia, osteologia, anatomia corporis humani universa; Beat. Osann de materia medica, de fontibus medicatis; Beat. Fr. Hufeland de pathologia et therapia generali, de semiotice, de pathologia et therapia speciali; Cel. Eck de physiologia; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis, de morbis animi; Ill. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Cel. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis, de arte obstetricia, de arte fascias rite applicandi, de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia. Artem cadavera rite secandi Ill. Schlemm me docuit.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis virorum Ill. Wolff, Dieffenbach, de Graefe, Juengken, Kluge interfui.

Tempore studiorum absoluto pro meis officiis chirurgi munere in legione peditum secunda, duce Dr. Struve, viro humanissimo, per annum unum functus sum; tum ad legionem equestrem quartam missus, per tres annos et dimidium duce Dr. Doniges, viro doctissimo, usus sum. Deinde ad legionem praetorianam Alexandri Caesaris, cujus rebus medicis Richter, vir celeberrimus praeest, abire jussus sum.

Examine maturitatis absoluto in numerum civium universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus sum. Per duos annos et dimidium ibidem complura collegia frequentavi.

Quibus meis praeceptoribus gratias ago quam maximas semperque habebo.

Nunc vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Instrumentorum usus in partu difficili saepissime supervacaneus.
2. In curanda hydrocele incisio punctioni praestat.
3. Quies post coenam magis prodest quam motus.
4. Partus praematurus sectioni caesareae et perforationi foetus est praeferendus.